

rat tum is cum Deiphobo copiis , quas Patres futuris Mediolanensium motibus circa Ollium ab initio belli objecerant . Sub Hemi adventum Pisanus , qui jam & ipse gravitate cœli languere cœperat , Venetias abiit . Ficariolana mœnia novi legati industria assiduo opere instaurabantur , dum Fœdericus Cornarius & Franciscus Sanutus legati in castra venerunt ; post quorum accessum miles ad Ficariolum in castris , & naves in pristina statione aliquandiu sine re ulla memorabili fuere ; atque ideo cessatum , quia non adeo multi erant , qui arma adhuc tractare possent : trahebant longe plures ægra corpora , qui non modo non bellica munera obire poterant , sed ne pedibus quidem consistere . Vertente autem autumno , quum aeris inclementia magis in dies magisque remitteret , cœpissentque passim , qui ad eam diem jacuerant , levare , ne amplius tempus tereretur , mittit Severinas Fracassum filium cum valido equitatu ad præsidium oppugnandum , quod Hercules ad Obscurum Lacum in ripa fluminis firmarat ; erat enim Venetis navibus citro ultroque commeantibus infestissimum . Ille , bellicis machinis in adversa ripa constitutis , ita hostium munitiones assiduo jactu paucis diebus comminuit , ut jam hostem minimo negotio loco dejici posse nemo dubitaret . Sed dum Fracassus hac parte hostem fatigat , Victor Superantius , maritimæ classis præfectus , cum una & viginti triremibus , biremibusque , & paraschermis circiter quatuordecim , adverso Pado in Argentinos fines progressus , Janiolum oppidum , quod ad Vatrei ostium sedet , oppugnare statuit : apparebat , nisi eo expugnato , classem sine ingenti certamine ulterius procedere non posse . In adversam igitur ripam e regione oppidi (*Filo* nomen loco est) quadringentos & amplius equites , milites sexcentos Superantius exposuerat : cœperant hi adversus hostium incursus Padi ripam communire , ut inde per ocium oppidi mœnia bellicis operibus disturbarent . In eos præ-